

Contenta

Formula reformationis

S. Cas. Nris de reatio.

Oratio legatorum regis Galie

Epitaphia et exhortatio regiam

Oratio in duobus

Epitaphia legum

Oratio de reatio

Oratio de reatio

Regum de reatio

40

fo  
6







Beibed 9.  
10

# REGINALDI POLI

CARDINALIS ANGLICI LEGA-



TI AD CAROLVM V. CAESAREM

AVGVSTVM, ET AD HENRI-

CVM II. GALLORVM REGEM

de Pace. Iacobo Pholio

Interprete.



R O M A E.

Apud Antonium Bladum.

M. D. LV.



REGINA AUSTRIAE BOLE

CARDINALIS ANGELICUS



ET AD CAROLVM V. CAESAREM

AVGVSTVM ET INDIVISIB

CVS GALLORVM REGIBVS

de Pace. Jacobo Paphio

inscripte.



R. O. M. A. E.

Apud Antonium Bladum

M. D. C. L. V.



## IACOBVS PHOLIVS IO. ANGELO

MEDICES CARDINALI AMPLISS.



VLTAE quidem, hæc; præclaræ Reginaldi Poli sunt uirtutes Cardinalis amplissime; quibus uir clarissimus pridem se immortalitati consecrauit: sed nulla iudicio meo ea uel beneficio est gratior, uel fama illustrior, quæ hominis ingenium præ se fert cum singulari pietate coniunctum-ingenium enim, pietas omnino si desit, & ei, cui inest, & alteri semper obesse solet: utriusq; autem simul cumulata est laus. siquidem coniunctio hæc & possidenti ad gloriam, ac ueram immortalitatem prædest: & cæteris fructus affert uberrimos: cum uolentibus ad colendam pietatem alterius nec ingenium, nec exemplum deest. Quæ cum semper omnes in Reginaldo cognouerunt: tum uerò his maximè temporibus: quibus in reuocanda ab illa impietate Britannia: qua seditionum magnis, diuturnisq; iactata est procellis, uiri potissimum insignis eluxit industria. Illud autem alterum de constituenda in populo Christiano concordia, restringendisq; horum bellorum incendijs, quibus totam serè Europam dudum flagrantem cernimus, quanta cura, quanto studio; quam grauitè, quam prudenter munus sibi delatum obiuit. in Belgium primo ad Cæsarem, post paucis interiectis diebus ad regem in Galliam profectus utrunq; hortari, mone- nere, obtestari non destitit: omnia tentauit; nihil prætermisit, quo principum animos inter se conciliaret iratos. nihil tum profecit, se- sularibus monitis parere abnuentibus, quos ueteres inimicitie, & flagrans dominandi libido semper ad arma impulerunt. Nec tantum præsens, sed absens etiam sic hæc egit: ut eius & in consulendo prudentiam, & in prouidendo consilium, & in deprecando pietas



tem cuius liceat ex oratione ad Cæsarem scripta pernoscere: ex qua  
quidem & reges ij, si quando mutabunt sententiam, habebunt, in re  
tanta quid sequantur: & posteris, qui deinceps hoc legationis mune  
re functuri sunt, exemplar ad imitandum non deerit. Eius in scriz  
bendo consilium, iudicium uelle me laudare superuacaneum esse pu  
to: quod istud à quouis facile cognosci possit, qui orationem uiderit.  
tantum dicam ad persuadendum nec ualidiores rationes, nec notio  
ra, accommodatioraq; exempla afferrì potuisse: præterea suscepti  
officij eam habitam esse rationem: ut in oratione non adumbrata, sed  
uiua pietatis effigies expressa esse uideatur. Hanc ego Medices orna  
tissime nuper dedi operam, ut ex eo, quo nunc utitur Italia, sermo  
ne in latinum uerterem, ratus me & tibi rem gratam esse facturū  
propter animorum similitudinem, eamq; necessitudinem: quæ tibi  
cum polo pridem est maxima: & ijs in primis, qui nostri sermonis  
ignari latinè norunt. Quem à me susceptum laborem si tu non asper  
nabere, ego me aliquid consecutum arbitrabor. neque enim, ut est  
apud poetam quendam magni nominis,

Nostra hæc tam bona

Futura sunt, quam fecerint, qui nos amant:

sed et necesse est sincerū, rectumq; in dignoscendo iudiciū amoris  
mes accedat. Atq; iam uolum ipsum licet alieno ore latinè loquentē  
audiamus: qui, cum suo melius posset, uoluit ab his planius intelligi,  
quod diceret: quorum ad aures omnino perferenda hæc erant.



# REGINALDVS POLVS CARDINA

LIS ANGLICVS LEGATVS HENRICI  
CO II. GALLORVM REGI.

Iacobo Pholio interprete.



**V**M ad te Henrice Rex Christianæ pietatis propugnator maxime simulq; ad Carolum Cæsarem à Iulio III. Pont. Maximus essem Legatus, uti per me cū utroq; de pace ageretur; aduentus in hæc loca meus in id tempus incidit, quo tu cæterarum rerum curas omnes tantisper ablegasti: dum dies eos cultu maiore celebrares: qui ei paci dicati sunt, atq; consecrati: quæ ab immortalis deo concordie omnis auctore, ac principe per filium intercessorem humano generi est data. Itaq; mihi uisum est non modo non importunè agere, si te de hac re admonerem: sed etiam accidisse diuinitus, ut huc uenirem hoc tempore; quo de ea referendi sese mihi maior ostentarat occasio: qui scirem te, quò maiore pietate inter deum, & homines conciliatæ pacis memoriam coleres, hoc facilius, libentiusq; de sedandis inter homines ipsos discordiis loquentem auditurum: quibus quidem nullius pacis, quæ firma sit, ac tuta, spes esse potest: nisi hæc ab altera, quæ cœlitus data est, tanquam copiosissimo fonte deriuetur. Itaq; cum ad finem festorum, ac solennium dierum meum istuc aduentum mihi abs te prorogatum uiderem, tantam negocij huiusce tractandi occasionem oblatam omnino mihi elabi haudquaquam passus facere nolui: quin, quæ ex responso Cæsaris de pace cogitarim, ac perpenderim, ea in præsentia tibi explanarem. Quæ quidem paulò antè in hoc ipso itinere literis iccirco mandaueram; ut, si qua post (nā hæc hucusq; defuit) daretur opportunitas temporis, ad eum scripta mitterentur. sed,



quoniam ea, quæ hac oratione complexus sum, non minus ad te, quam ad Cæsarem, pertinere uidebantur, rationem hanc omnem de pace hoc quasi libello à me explicatam ad te misi: idq; feci eò libentius, quòd pro tua pietate, magnitudineq; animi eadem quoq; te, quæ ille, responsurum confido. Hæc magnopere cuperem uel legeres ipse, uel legenti alteri aures præberes tuas; cum te in eum, quem precationibus destinaasti, locum incluseris. Equidem spero te, cum omnia cognoueris, consilium meum, quod ad inchoandum negocium adhibui, si modū, tempus, aut locum spectes, haudquaquā improbaturū. illud certè apud omnes ex his testatum relinquetur, qui sit animus et eius, qui me huc misit, & unā meus: quam pacis cupidus: quam quietis amans: quam bene uestrum utriq; simulq; his, qui uos reges colunt, esse uelimus. modo qua est in omnes pietate, atq; clementia, faxit immortalis deus, qui regum animos, cordaq; moderatur, ut tranquillitatem uterq; optet, atq; hanc ipsam ab eo poscat. quod si fiet, nihil uerendum erit, ne eius, quam omnes cupimus, & precamur, pacis exitus futurus sit felix.



REGINALDI POLI CARDINALIS  
 ANGLICI LEGATI AD CAROLVM V.  
 CAESAREM AVGVSTVM DE PACE,  
 Iacobo Pholio interprete.



VM Carole Cæsar Augustissime Iulio.  
 III. Pont. Max. ab immortalī deo, cuius  
 providentia cuncta dispensantur, ea mens, is  
 animus esset datus, ut ad conciliandā inter  
 te, Henricumq; II. regem Gallorum pacē  
 mea opera is uti uellet, tibiq; ea, quæ ad  
 hanc rem ab illo accepissem, mandata ex-  
 plicassem, illud abs te intellexi, quod de tua pietate, magnitudineq;  
 animi iam pridem mihi persuaseram. cognoui enim te, licet ijs iniurijs  
 affectū à rege arbitrarere, quæ animum tuum ab omni cogitatione  
 pacis possent auertere, tamen, si quæ conditiones afferrentur, quibus  
 posset pax uniuerso populo Christiano salutaris, ac firma gigni, nun-  
 quam difficilem in ea accipienda fore: atq; tum priuatas delentem  
 ex animo iniurias communis causæ prorsus rationem habiturum. ex  
 qua quidem oratione Cæsar illa didicisse uideor, tum quæ paci apud  
 te obstant, tum pro officio meo in hac re cogitatione, studio, & ope-  
 ra quò me uertam. Atq; cum istuc ego cogitarem, eaq; meminisse  
 sem, quæ de pacis negotio non semel confecto olim acta mecum co-  
 legisses: qua ex re, ut & ipse fateris, & nos uidimus, non modò  
 fructus nullius extitit, sed mala etiam ingentia in populum christia-  
 num inuecta eruperunt: cumq; horum malorum causas quærerem, ut  
 aliqua posset iniri ratio errata corrigendi, eiusq; conficiendæ pacis,  
 quam Christiana Resp. maximè necessariam exigit, & uult: exi-  
 stimauī officij mei dignitati conuenire eadem de re stylo etiam dis-  
 tinctius, diffusiusq; meam explicare sententiam: qui non satis mihi



ipsi facerem, quòd tecum coram essem collocutus. Sic enim existima-  
ui, quæ pro ea, qua tu, simulq; Resp. Christiana uelari possit, con-  
stituenda concordia ( idquod dei pietate futurum spero) dicetur, hæc  
abs te posse animi grauiore, firmioreq; iudicio ponderari. tantum  
Cæsar illud à te postulo, ac rogo: ut pietas illa, quam ex tuo respõ-  
so in te esse uidi, ad rem conficiendam mihi ne desit: aut ne dedigne-  
ris iter quærenti commostrare. in primis igitur sine quaeso Cæsar  
abs te, illud impetrari, ut me ea ratione adiuues, quam nunc summus  
Pontifex ab omnibus, qui in Christi leges nomen dedimus, postu-  
lat. quos, ut à deo pacem precibus contendant, non desistit et mo-  
nere, & hortari: idquod iam ubiq; gentium fieri uidemus quamli-  
bentissime. Tu autem cum scias ut iusto dei iudicio ad uindicanda  
hominum scelera bella conflare, ut eiusdem misericordia res huma-  
nas haud omnino perditas iri ferentis illa ipsa sedari, atq; ita sopiri,  
ut hoc cupimus, quo uniuersum terrarum orbem dudum flagrantem  
cernimus, optarem, ne alterũ summa contentione id abs te exorare  
patereris: sed te in eorum numerum ipse ultro lubens ascriberes;  
qui rem tam salutarem ab immortalis deo enixè petunt. Secundo lo-  
co mihi auxilio tuo in eo est opus: ut, quibus pacis inter utrũq; to-  
ties icta fœdera minus firma, inuiolataq; permanferint, causas ubi  
cognoueris: eas, quantum in te erit, præcidas, ac tollas. harũ scien-  
tiã ut assequaris, præteritorum fœderum conditionem, formamq; in-  
tuebere, quæ fuerit ipsorum sancientorum ratio, quæ origo, qui exitus.  
Videbis enim, si, quæ uos relictis armis ad pacem impulerint;  
si, quæ homines moueant, ut à bellis cessent, consideres, ea omnia, ut  
magis utriq; cautũ esset, à uobis indagata, & tentata: nihil præter-  
missum, quod homines potuerint aut consilio explicare, aut assequi  
industria. Ea autem tria esse dicimus: primum est, cum inter se  
belligerantium uires attritæ, fatigatæq; arma deponunt: quod in his  
bellis, quæ tu, et Gallorum rex inter uos funesta gessistis, nõ semel ac-  
cidiße



vidisse vidimus: alterū cum altera pars ita superatur ab altera, ut in eius potestate ipsa redigatur: quod exēplo Francisci Gallorū regis declaratū est: de quo rege tua olim uictoria finē uestris bellis allatura uidebatur. tertium uero tum uiderunt omnes, cum uestri uterq; iniuriarū omnium atq; eorum, quæ ultro, citroq; illata sunt, malorum oblitus officijs inter se certare cœpit: id ad Aquas mortuas factum meminimus. His rationibus superiorum bellorum inter uos incendia restincta: nec plures tribus ad hoc afferri possunt. nulla tamen stabilem, ac firmam pacem parere unquam potuit. quid si ex pace semper multo atrocius recens bellum sit ortum? idq; ex ea præsertim, quæ cæteris firmior, ac tutior esse uidebatur? hoc certe experiētia ipsa nos docuit. Hæc, ut, quo acta sæpius de pace planè sunt rescissa, peccatum id cognoscas, tibi consideranda sunt Cæsar. non enim istuc accidit, quia aut ad consulendum ingenium, aut ad agendum temporis occasio defuerit: nimirum animorum illa, quam res exigebat, coniunctio uobis defuit. Quare parietibus illis ædificiorum similia hæc fuerunt, qui Prophetæ testimonio nulla intus coagmentatione firmati calce tantum superillita uentorum quantumuis parua impulsa corruerant. idem in uestris de pace actis contigit: quibus, quæ solide conglutinare poterant, amoris uis inter uos mutui, consensusq; uoluntatum defuerunt. ita non modo utilitatem nullam ex bellis ipsi percepistis: sed multa etiam tum publica, tum priuata damna sensistis: dum post pacis tempore magis, quàm belli, pessima alter alterum lædendi consilia iniuistis. id rerum euentus ipse comprobauit. Quod quidem ut ita eueniret pro eo, quo liberos amore uos prosequitur, deus immortalis iccirco est passus: ut ad actiones uestras animorum conglutinationem adhiberetis atq; ab eo pacem illam accipere uelletis: quæ uos simulq; Remp. Christianam solaretur. Ad tollendas autem ut tolli censemus oportere, discordias, nullum tempus hoc ipso opportunius, aut maturius unquam accidit. quanquam, si, quæ & deo, et Reip. Christianæ



iure debetis, spectanda sint, occasio semper est in manibus: profecto nihil hoc uerius: primi parentis omnium corruptos mores sequimur, planeq; uestigijs inhaerentes nosmet plus æquo diligimus: honorisq; et rei cupidi nimis sumus: neq; unquã, ut eo modo, quo ipse statuit, à deo largiente uelimus hæc accipere, inducimur: usq; dum quid ingenium, quid uires nostræ possint, reipsa experti sumus: tunc, ubi spes nos frustrata est, qui sanctior est, & pietatis amantior, ad deum confugit. Itaq; cum tot annos bella geri, neq; honores, aut imperia illa, quorum spes utrunq; excitauit, per uos esse parta: sed præter expectationem uestram omnia uobis euenisse uideam: eadem præterea sæpius restineta bella, neq; propterea, quæ è concordia expectabantur, cõmoda, atq; emolumenta esse consequuta: rationes denique: quibus ad sumenda, ac deponenda arma, usi estis, tanquam inutiles, ac perniciosas deũ odisse ex ipso rerum euentu comprehenderim, tantam opportunitatem tẽporis, quanta nunquam sese obtulerit, ad id perficiendum, quod uolumus, uobis nunc oblatam esse dico: quo in his, quæ sunt de pace, & bello, recte, sapienterq; prouidendis, ac decernendis, deum uterq; ducẽ sequi uelit; qui rei utriusq; rectã formulã præscribat. ea autem est, quam is, qui concordie auctoris, ac principis uices in terris gerit, per me legatum ad uos nunc mittit: ea inquam ipsa, quæ in actis sedis eius, ac domicilij, quod apostolorum manibus pietas diuina construxit, per scripta est, atq; conseruata: ut intus animorum, externisq; corporum bellis afflictos solaretur, leuaret oppressos: iungendæ præterea cum immortalis deo in primis, post uobiscum unã solidæ, ac ueracis modum, rationemq; demonstraret. Atq; ego quidem, cum pacis huius uim pro eo, quantum ipse cupio, uobis explicare non possim, nisi quales bellorum exitus fuerint, quam boni utriq;, quam uè mali, commemorem, hoc quale sit, summatim, breuiterq; percurram. Meminisse igitur debes Cæsar belli huius initia: quæ quidem non sunt à duorum, trium uè annorũ spacio, quibus bellum à te cum Henrico geritur;



sed ab triginta, aut eo etiam amplius interuallo repetenda: atq; tibi cum Francisco huiusipsius regis patre inchoatum certamen, assiduū, perpetuumq; esse bellum, quo quidem tempore tametsi de pace fœderum pactiones inter uos sæpe fecistis: tamen, cum eo modo, quo oportuit, nihil actum esse uideatur: id omne tempus, belli (sive occultum, sive apertum id fuerit) uerius dici potuit, quàm pacis. bello inquam tanto, ac tam diuturno tot annos dimicatum est, ut regis Turcharum Christiani nominis teterrimi hostis superatis uiribus imperium orientis facile per uos recuperari potuerit: si, quam pecuniam profudistis: si, quas copias amisistis: si, quas opes, dum alter alterum protrudere, ac propellere nititur, contriuisistis, horum pars tertia uobis aliud bellum multo honestius, atq; gloriosius aluisset. nam, si quæ fortunarum, quæ honorum in hoc tam diuturno armorum concursu uobis accessio facta sit, considerabitis, inuenietis non modo id, quod optabatis, uobis non euenisse: sed citius (quod pro uestra pietate nunquam uoluisse certo scio) istuc omne christiani nominis sempiternos hostes, aut eius concordie, quæ in his, quæ ad religionem pertinent, iam inde ab initio constituta est, euerfores esse consequutos. Quid autem fuit illud, quo Solymanus Turcharum rex tot utilitates, tantam gloriam sibi comparauit, ut duo Christiani orbis propugnacula terra, mariq; firmissima, Belgradum alterum, alterū insulam Rhodum expugnauerit? Pannonia longè, latèq; peruasata Budam usq; urbem regiam penetrarit? regionem omnem, quam Histria fluuius tractu longissimo alluit, prouinciasq; simul adiacentes imperio subegerit? mare italium, quod tum superum, tum inferum dicitur, eius potentissimæ classi patefecerit? quam quotannis ferè uolitantem in Italiam ex locis maritimis more prædonum tot capita hominum abducere, secūq; in remotissimas terras asportare cernimus. fuere, ut uerè dicam, odia uestra, discordie, ac bella: quibus adeo is creuit, & ad tantam imperij magnitudinem est euectus: ut, nisi ex oriētis partibus immortalis dei



benignitate cuncta dispensantis extitisset eius hostis Persarum rex potentissimus, qui frenaret exultantem audacia, pridem rerum omnium potitus esset imperio: tametsi harum maxima pars eius ditioni subacta est: ut facile occidentis regnorum accessionibus ei in oriente à Persarum rege illata damna compensentur. atque hæc satis de utilitate, & gloria, quam Turcis infidelibus odia, & bella intestina pepere- runt. Eisdem ob causas eorum, qui pietatis speciem quandam præseferentes uideri Christiani, quam esse, malunt, teterrima factio tantas uires coepit: tam late serpit hoc malum, quo & civilis, & ea, quæ tot ante sæculis, tanto totius populi Christiani consensu recepta est, disciplina euertitur, ut opibus, atque utriusque robore tantus furor nulla ratione amplius reprimi, ac sedari posse uideatur. declarant id & hæc, quæ multis in locis à suis regibus desciuerunt, urbes: & in religione dissensiones ortæ, factaque diuortia: quæ omnia, ut tam late uagarentur, uelut materiam igni præbentia dissidia uestra aluerunt. si autem neget aliquis quicquid dignitatis, quicquid emolumentis existerere potuit, id omne per Maumethanos, & communem religionis causam impugnantem esse partium: nihil autem horum ad uos ex bellis uestris redundauisse: siquidem utrique ad imperium suum multæ, sunt adiunctæ provincie, multæ urbes: is, si cogitet quantum pecuniam in hac accessiones oppidorum, regionum uterque coniecerit: quanta ad hæc ipsa tuenda sit opus: quanto id fiat detrimento quotidie suorum populorum, quanta hominum strage: uobis enim in uestris regnis iam pauci sunt relictis mortales: opibus exhaustæ provincie: urbes hæc, quas deuicistis, præsidiorum culpa magis, quam uis hostium, crudelitateque ad extremam miseriam, inopiamque redactæ: ut harum ipsarum defectiones uobis interdum metuendæ esse uideantur: quas bello orta necessitas uel Turcas ipsos sibi dominos nonnunquam optare cogit: is inquam, si diligenter simul hæc omnia examinet, ac perpendat, illud idem, de quo paulò antè locutus sum, pro comperto habebit, non modo ea, quæ ex tam diutur



no bello sperabantur, uos nunquam esse cōsequutos: sed, quæ utriusq;  
propria erant, à ueræ pietatis perpetuis hostibus etiam erepta: uobis  
autē nihil reliquum esse, præter quandam rei utriusq; speciem, eamq;  
& pertenuem, & cum rerum omnium interitus metu, periculoq; cō-  
iunctā. Id uos Cæsar scio ferre quam ægerrimè. memini enim, olim  
Romæ cum esses, in senatu nostro coram Paulo, III. Pont. max. te  
plura in hanc sententiam tum sic locutum, ut omnes exaudirent: ex  
eoq; magnopere dolere, quod uideres Remp. Christianam magnis bel-  
lorum fluctibus agitatum, et quassatam multa, cæq; ingentia damna  
pati. ad extremum, cum diceres satius fuisse, ut proprio magis uis-  
tæ amborum periculo, ac Marte, quàm communi omnium urbium, re-  
gnorumq; detrimento controuersie inter uos omnes dirimerentur,  
excusationem eam tum attulisti, qua te ad bellum omnino cogi de-  
monstrabas: simulq; uisus es illud significare, te in communem Chri-  
stiani nominis hostem de bello promouendo maximè cogitare: uerum  
non uidere qui posses aliquid amplum, atq; egregiū facere; nisi prius,  
qui rem tantam impediret, regem Gallorum debelasset. Hæc eo ani-  
mo tum abs te dicta, Cæsar, ut erga Remp. Christianam non medio  
cri amore flagrare uiderere. Eandem uoluntatem ad causam commu-  
nem mirificè propensam præ se tulit rex literis publicis; quibus ad ea,  
quæ dixeras, respondit: qui præter eas causas, quæ priuatæ essent,  
etiam illa adiecit, se Reip. Christianæ causâ à se contra te susceptū  
esse bellum, ne rerum omnium imperiū per uim solus occupares: cumq;  
malum esset intestinum, uerereturq; ne, qui liberi essent, adempta li-  
bertate te dominum habere cogerentur, te non minus, quàm Turcam  
externum hostem, esse metuendum: se non tam priuatis, quàm Reip.  
offensis urgeri, ac moueri. His rationibus tum uterq; demonstrabat,  
in tam diuturno bello à se non suarum rerum modo, sed publicarum  
etiam tum utilitatis, tum etiam dignitatis habitam esse rationem. Atq;  
hæc quidem rationes, si homines iusta ne, an iniusta sint bella, futuz



vi sint iudices, licet æquitatis speciem quandam præ se ferre ulz  
deantur, tamen immortalī deo iniquas uideri tot annorum exitus ipsi  
deklararunt, te uidelicet Cæsar in Turcas ut iusta arma capias, con-  
tra regem Gallorum bella suscipere, ut huius attritis uiribus aditum  
tibi ad tantam laudem aperias: regem uero, ne solus rerum omnium  
imperio potirere, infesta in te semper mouisse signa: utrunq; certè ex  
eo malum esse constat, quod hac ratione creuit potentia, auctæ Tur-  
carum opes: dum uos quotidie magis hosipfos in rerum nostrarum  
possessionem mittitis: simulq; Reip. Christianæ mala intestina alen-  
tes assiduè fouetis, & augetis. Præterea ex ipsis bellorum euentibus  
norunt omnes nullo pacto deum uelle æquatis semper uiribus alterum  
de altero parta uictoria gloriari. Itaq; , si ea est uestra uoluntas, is  
animus erga Remp. quem uos esse dicitis: ea pace utiq; , quæ non sit  
ficta, uobis omnium procuranda est & dignitas, et salus: ex qua etiã  
ad utrunq; uera gloria, & multa commoda redundabunt: quæ tan-  
tum abest uobis ut à bellis intestinis comparentur, ut etiam cum rez-  
gna uestra exhauriant, et pessudent: tum ea, quæ ferre ipsi potestis,  
aditum Reip. Christianæ ad beneficia uniuersa præcludant. Hac tam  
longa rerum de pace, & bello experientia doctis de uoluntate dei uo-  
bis exploratissimum esse debet; qui nulla earum uia, quam hucusq;  
uterq; insilit, uoluerit, quæ petebantur, sibi parari opes. quarum uiaz-  
rum anfractibus uos implicari, detineriq; passus est, ut detectis dolis,  
cognitisq; erroribus ab ea cogitatione reuocaret, qua alterum pro cer-  
to habebat alter se suis uiribus, & consilio deuiçturum: ut animum  
induceretis ueram gloriam, commodaq; omnia uobis eo modo, quo ip-  
se statuit, sumenda esse ab omnium auctore bonorum. içtuc autè cer-  
no uos esse facturos, si eam pacem non aspernabimini, quæ uobis hoc  
tempore ea ratione facienda deo auctore proponitur: ut, quò sit fir-  
mior, arçto amoris uinculo, atq; animorum coniunctione glutinetur.  
Qua de re etiam loquar explicatius, ubi uobis ad memoriã beneficia



illa reuocauero, quæ præ cæteris regibus in uos à deo sunt collata: ut  
hispsis ei iure magis obstringamini, nihil, nisi, quod ipsi placuerit, uos  
uelle, atq; multò firmitus uestras coniungere uoluntates: in quo uno  
posita sunt bona omnia; quæ tum seorsum ad uos, tum uerò ad Remp.  
ipsam pertinere uideatur. Igitur neq; Philippum patrem tuum Cæsar,  
cum primum in lucem editus es, natum sibi regem Hispaniæ agnouerunt:  
neq; post habuissent: nisi, qui futuri erant, propinquiores mors  
antè sustulisset. neq; item rex hic Gallorum primus hæres in paterna  
succedebat opes, minus autè pater eius Franciscus: cui multò plu  
res aditum ad regiam dignitatem præcludebant, qui iure hæreditas  
rio hanc sibi uendicabant. Quamobrem deo ob tantam eius in uos  
benignitatem regna accepta referre multò plus ipsi debere uidemini,  
quàm, qui ab origine fuerunt regnorum primi hæredes instituti, quor  
um tituli, qui mos est omnium, qui se Christianos esse profitentur, si  
regiam dignitatem deo acceptam præ se ferunt, multò magis hoc fac  
ere uos decet: qui ea ratione, quam diximus, ad tantum fastigiũ eue  
cti estis: atq; in rerum administratione eius parere uoluntati, à quo  
tam liberaliter regna ipsa accepistis. Atq; hoc, ut ego animaduerti,  
primum fuit præcipuæ dei in uos liberalitatis argumentum. Eiusdè  
alterum beniuolentiæ esse dicimus, quod non modo infideles nationes  
ceruicibus uestris imminentes depulerit, sed alterius etiam uim  
ab altero tum maxime propulsarit, cum ab eo magis, ne, quod pete  
bat, imperium occuparet, metuendum esse uideretur: id quod sem  
per uos esse conatos dissensiones uestræ, assiduâq; bella demonstrat.  
Etenim non multò secus, atq; Rebecca uterus liberos inter se pu  
gnantes sensit, uos quasi intra uiscera parentis Ecclesiæ alter alterũ  
protrudere, atq; cum primũ arma fuere in manibus, funesta bella si  
mul agitare cœpistis, de his dimicantes imperijs, quæ ad uos ipsos ab  
immortali deo fuerant delata. id uerò idem fieri iccirco est passus,  
ut se magistrum habere studeretis: à quo possetis illud discere: quod



regem eum , qui Christianæ pietatis cultor esse uult , nosse in primis oportet : quæ sit uidelicet & in pace , & in bello uera ratio gubernandi . Hæc ante in eo maximè posita est , ut homines intelligant , ubi reges ipsi sunt , illic eum , qui loca incolit superna Stellarum , longè , lateq; dominari , atq; ea potestate imperare , ut quibus libuerit , pro arbitrio regna largiatur . quod , ut est apud Danielelem , exemplo Babylonici regis declaratum est . huius expers ille doctrinæ pœna antè à Deo plectitur : post edoctum ingentia præmia decorarunt . hoc inquam illud est ; quod uos , ut ex eo , de quo mox dicturus sum , cognosci poterit , à deo in ludo militiæ ediscere potuistis . itaq; initia illa bellorum memoria tibi sunt repetenda Cæsar . nam tametsi multò plura abs te , quàm à rege Gallorum , regna ditione tenebantur ; qui , præterquam quod alia multa possideres , etiam creatus esses Cæsar augustus , haud propterea tamen opes tuæ ampliores esse uidebantur . coniunctio enim uirium ipsarum maior , et gallici generis hominum ad parendum propensissima uoluntas ualidum , ac potentem regem faciebant . Contra , quò plus tibi locorum intercapedine diuisa regna erant , distractæq; prouinciæ , quouè duriores ad obsequendū habebas tuos , hoc tu imbecillior , & infirmior esse uidebare : cum te contra uim multorum , ualidissimorumq; hostiū loca multa præsidys firmare , ac tueri oporteret : neq; ij , qui ante te reges fuissent , quæ ad id necessaria erant , omnia tibi comparassent . Quæ cum rex cerneret , quem tum maximè iuuenilibus florentem annis ætas ipsa impellebat , habereq; exercitum militum ueteranorum , simulq; huiusipsius alendi uires , statim ea , quæ tu à maioribus tuis acceperas , regna ui magna est adortus . tantū tamen abfuit , ut tunc inde uictoriam ullam reportauerit ; ut etiam , quos magna sui nominis gloria in italia debellauerat , insubrum imperium amiserit . Hæc omnium prima à deo edocti eslis , regem uides licet ut tantæ rei amissio , te ut uictoria admoneret , dei præpotentis nuntu ad , quos uelit , homines imperia , regnaq; deferri . ubi enim maiore

potentiam



potentiam spes etiam uincendi magis explorata sequebatur, ibi minus  
euentus ipsi uota secundarunt: qui autem ætate, & uiribus fuit infe-  
rior, is uictoria superior euasit. sed, quoniam, ut hoc documento, si uti-  
re, nullum est salubrius, ita nihil ex his, quæ discuntur, eo difficilius,  
quàm ut uti possis, uoluit omnium parens deus ex crebris bellorum ue-  
strorū euentibus id ipsum repetitū amborū quasi auribus inculcare:  
cuius si certam scientiā essetis adepti, pridē ea sequuta pax esset; quæ  
Reip. Christianæ, & utriq; simul grata, iucundaq; contigisset. id ue-  
ro tum proculdubio futurum est, cum res ipsa indicabit talem doctri-  
nam à deo eo, quo diximus, modo traditam à uobis fuisse haus-  
tam. Quam quidem ut etiam apertius explicem, simulq; caus-  
sam afferam, cur, ut ego sentio, uestrum neuter sat adhuc hanc  
ipsam perceperit, quosdam euentus bellorum uestrorum insignes  
commemorabo, ex quibus magis ipsi cognoscere potuistis, ue-  
stris uiribus uobis haudquaquam fidendum esse; neque uictoriam ul-  
lam ex maiore robore, potentiaue pro certo expectandam: quorum cog-  
itationes de bello omnes, immortalis dei consilio effectum est, ut res-  
rum uani exitus tum plus eluserint, cum profligandi alterius spes al-  
teri firmior esse uideretur. Paulò antè dixi quid Francisco euenerit,  
quo tempore rex esse cœpit, cum te uir maiore confusus prior bello las-  
cessiuit. Idem tibi accidisse uidi Cæsar, tui enim contra regem co-  
natus hoc magis irriti fuerunt, quò ampliores apparatus, uiresq; ma-  
iores tibi certiozem uictoriam ostendebant. Capto Tuneto magna  
nominis tui gloria uictor ex Affrica maximas copias in Prouinciam  
traieicisti: quo tempore ab omnibus rebus, quæ ad bellum necessa-  
riæ sunt, regem imparatum offendiisti: pars tamen ea, quæ firmior  
esse, atq; alteram superare posse uidebatur, illic maiora tum detri-  
menta sensit. idem etiam tum contigit, cum parta de Cleuanensium  
duce uictoria Galliam denuo inuasisti. hoc enim propter eam, quam  
cum rege iniuerat, societatem Gallorum tanquã propugnaculo expu-



gnato reliqua planiora fore uidebantur. Vicus tamē nullius ferè no-  
minis in finibus gallici imperij positus (Andresium hunc uocant,) tan-  
tos impetus adedè repressit, ac fregit, ut finis tum ei bello sit allatus.  
Nec propterea quicuisi Cæsar, nam post iunctis belli gerendi cum re-  
ge Britaniæ insulæ fœderibus in Gallos iterum ea mouisti arma: quo-  
rum exitus haudquaquam is fuit, quem pleriq; ex tanta uirū magni-  
tudine haud ab re futurum expectabant. atq; id quidem, ut post  
apertius explicabo, magnum dei erga te beniuolentiæ testimonium es-  
se duco. Ex his satis liquere arbitror, cum tu tam insperato, tam di-  
uinitus ad tot, tantq; imperia peruenisses, nunquam hæc à deo ea  
conditione accepisse, ut tantis abutens uiribus eum, qui fratris loco ti-  
bi esse debuerat, ea dignitate spoliare cogitares: qua ille ab eodè or-  
natus erat: contraq; eundem noluisse ijs, quæ ad te detulerat, à rege  
Gallorum expelli regnis: præterea nulla uestra ipsorum industria,  
atq; opibus confisos diuina consilia tam in pace, quàm in bello sequi  
oportere, sed, quoniam, ut à me supra dictum est, nihil eo difficilius,  
quàm ut his, quas quis habet, non fidat uiribus: ac pro eo, quo quisq;  
natura ducitur, desiderio non speret se harum ipsarū adminiculo bono-  
res, emolumentaq; maiora paraturū, iccirco deus immortalis, cū et hæc  
uos cupere cognouisset, & simul decreuisset utriq; optata largiri, nul-  
la quidem harum rationum, quas uobis proposueratis, sed his, quas au-  
ctor ipse probat: consilia uestra simul belligerandi hoc temporum in-  
teruallo uos sequi est passus, quæ spem rerum maiorum afferebant:  
uoluitq; ut tot annorum experientia ipsa disceretis, opes demum  
omnes, & imperia magno rerum omnium detrimento sic amitti pos-  
tius, quàm parari: ut bisipsis rationibus improbatis, ac reiectis, eas in  
consilium uestrum iam adhiberetis, quas & hic docuit, & uos in pri-  
mis seruare oportet propter præcellentem eius fauorem, quo præ cæ-  
teris regibus uniuersi terrarum orbis ad gubernacula rerum acciti  
estis: quos alia, atq; Turcam, conditione reges fecit. hunc enim tan-



tum, quorum poenas uult homines luere, scelerum uindicem constituit:  
uos & patronos iustitiæ, & ut inquit apostolus, eius in primis, qua  
suos solari consueuit, clementiæ ministros: atq; & uobis, & cunctis  
Christianis regibus uiam strauit, qua in ipsa rerum administratione  
pergatis: ut nihil fiat, nisi, quod rerum auctor ipse uelit: regiam legem  
diuus iacobus hanc uocat: hoc est, charitatis, & amoris legem: quam  
& in pace, et in bello non seruare omnino est præter dei uoluntatem.  
Verum, ut de pace nunc loquar, affirmo neq; uos hacce in re hominũ  
expectationi responsuros: neq; item fore, quod & utriq; & reip.  
Christianæ pax hæc gram, & iucunda esse possit: si nihil, nisi, quod  
sit utile, spectare uelitis. Quod si ea interim uolentes, approbantesq;  
ad quæ natura humana est procliuius, de pace ita inter uos egistis, tu  
lit hoc iccirco immortalis deus, ne, cum multa hinc detrimenta extitit  
se cerneretis, uos lateret, rationes, quibus ad eam usi fuisistis, à se maxi  
mè improbari, ac refelli, qui quidem, ut erga utrumq; semper amorem  
paternum præ se tulit: ita etiam nunc postulat: ut, cum uos utilitatis,  
& gloriæ speciẽ haud fictã sequi uelit, ea, quam res ipsa exigit, uis  
amoris mutui ad omnia fœdera, & pactiones adiungatur. secus si fe  
ceritis, nunq; hæc ipsa, quæ uultis, uos assequi patietur. Atq; id planè  
singularis eius in uos beniuolentiæ indicium est clarius, quàm, quo uos  
reges amplissimos constituit. Quod tametsi propter hominum depra  
uatam naturam utriq; persuaderi difficillimum est: præsertim cũ iam  
tot, tamq; graues iniurias alter in alterum confluauerit: mihi tamen eũ  
aditum, ut tecum cohortationibus agerem, aperuisti Cæsar, quem, ut  
ad causam ingrederer, suscepti muneris dignitas ipsa requirebat: ut  
magni alicuius boni spem animo conceperim. Vidi enim te nulla egẽ  
tem cohortatione pro tua pietate ad præteriti temporis iniurias omnes  
facile conuiuere: simulq; dicere, si qua ratio conficiendæ pacis propo  
neretur, quæ publicæ utilitati prodesse posset, malorum omnium, quæ  
te priuatim attigerunt, memoriam ex animo deleturum. Atq; ut id et



sentires, et diceres, ea, quam intus seruas, pietas te tua mouit. Reliquū  
uerò est, te ut horter, planè figas oculos in rep. iuuanda: simulq; pri  
uatis hosipfos occludens iniurijs ut consideres, ex ea, ad quā cum sem  
per, tum uerò multo magis hoc tempore à deo uocamini, animorū ue  
strorum firma, solidaq; coniunctione quanta sint beneficia et ad uos ip  
sos, & ad rep. redundatura. hoc si uobis persuasum fuerit, ut uel  
tis; nihil ob stare censeo, quin iam omnia sint inter uos de pace cōstituta.  
hoc enim tanquam fundamento iactō, quod tū ad conditiones ipsas,  
tum ad belli causas, quæ uos priuatim impulerunt, attinet, inspectis  
præteritorum fœderum de sedandis sæpe inter uos discordijs condi  
tionibus, uideo nonnulla ex his, quæ rei difficultatem solent parere,  
sublata iam non semel esse concorditer, quæ autem adhuc posita sunt  
in disceptationibus, immortalis dei ope inueniri poterit facilis, atq; ex  
pedita ratio hæc ipsa componendi: si negotium mandetis hominibus, qui  
sint & fideles, & periti: præterea in deum, & communē causam  
eo animo sint, ut rebus his nihil ipsis sanctius esse uideatur. Verū in  
eo posita sunt omnia, ut fundamēta de coniungendis inter uos animis,  
atq; mutuo amore deuinciendis firma iaciantur. Quamobrem silen  
tio interim prætermisissis conditionibus, quæ magis in causa priuatæ  
uidebantur, mea de hac re prolixior fuit oratio. quod utiq; feci eò libē  
tius; quòd, cum, quid diuinitus acciderit, intueor; arbitror dei fuisse cō  
silium, ut ad causam de pace hac ratione ingressum tentarem. Nam,  
cum à Pontifice munus ad me istud est delatum, nulla ad hanc rem  
speciatim mandata ab eo tum accipi; me is, quas uellem, quasq; aptio  
res esse iudicarem ad tractandum negotium, rationibus pro arbitrio  
meo uti permisit: ut antè, quàm de ulla pacis cōditione referretur fun  
damentum istud per me firmum, ac stabile redderetur. quod quidem  
pro eo, quantum mihi, ut possem, à deo concessum est, tecum iam feci  
Cæsar. hac enim oratione scripta ad pacem nec fictam, nec falsam uo  
lui aditū patefacere. uia autē haud alia est, atq; ea, quam, ut iā sæpius  
explicauī



explicauit uobis dei pietas immensa monstrauit. qui cum semper uoca  
uit huc uos; tum uero nunc magis. iam enim propter eas, quas explica  
ui, causas, rei tempus maturū uenit: atq; id quidē ita maturū, ut sine  
manifesto periculo hominum salutis eternæ; & cum regnorū uestro  
rum, tum etiam uniuersæ reip. Christianæ interitu amplius differri  
non possit. is autem in hanc uiam ingressus uobis ut esset facilior, atq;  
expeditior, nō potuit odiorum omnium, discordiarumq; auctor satan,  
qui tanquā triticū expetiuit ut cribraret ecclesiam, dolis uos circūue  
nire: ut, quos de rerum imperio dimicare impulit, in rep. Christiana  
amplissimos omnium principes in his, quæ ad religionem pertinent, dis  
sentientes faceret. Huius tam nefandi facinoris patrandi facultatem  
ademit deus; qui alterius ei dedit. coniunctionem certè in hac re ani  
morum uestrorum firmam, eundemq; consensum esse uoluit. nam, si se  
cus factum foret, aut nulla prorsus inter uos posset esse cōcordia, aut  
quamdifficilimè. Quod ne accideret, eadem pietas diuina prouidit: ut  
non defuerint tam multa et in religione, et in regnis ipsis defectionis  
aliorum principū, atq; urbium exempla turpissima, & pessimæ, quas  
semper machinatus est satan, artes: quæ potuerint uestras in re tam  
salutari simul copulatas distrabere, ac dissipare uoluntates. Atq; hoc  
nullum dei erga uos benignitatis planè illustrius signum existere po  
tuit: ut et illud ex hoc ipso appareat uestra, simulq; summi pontificis,  
quem in hoc terrarum orbe personam suam gerere uoluit, industria  
demum post tot, tamq; perniciosas discordias sedatas, restincta bella,  
quæ iura omnia diuina, et humana uiolarunt, hunc eā concordia uel  
le constituere: qua & resp. Christiana simul uniuersa, & uos uerè,  
atq; ex animo lætari possitis. quam quidem pacē & omnes ab eo, qui  
potest dare, sic orantes petimus, ut spes sit haud mediocris posse nos  
impetrare: & uos præ cæteris hominibus flagitare par est. non enim  
bona tantum, quæ, dū hanc uitalē lucē haurimus, hominis esse possunt,  
ijs, quibus uos dominos habere contigit, & unā uniuersis potest hæc  
parere: sed et nisi & petieritis, & propterea et precando beneficium



istuc asequuti fueritis, ut tollantur inter uos discordiæ omnes, et odia  
côcitata reslinguantur, dei ad incorruptum tribunal malorû omnium,  
quæ culpa uestra reliqui mortales perpeffi fuerint, uobis causa omni-  
no agenda crit. Quod si aut tu Cæsar, aut rex dicat à pace se nō ab-  
horrere: uerum non uidere qui de alterius integritate fidei possit alter  
esse cautus: respōdeo, primò quidem deū, qui, quæ cogitent homines, co-  
gnorit, nulla ratione posse falli: dein, uter uestrū fidē seruauerit, huic  
proculdubio eum adiutorē fore: quem nunquā iratū sentiet; siue quan-  
diu fruetur hac uita, siue cū eò migrauerit, ubi eorū, quæ quisq; in uis-  
ta egerit, exactè rationes edentur. Profectò hoc illud est, de quo mul-  
tò magis, quàm de reliquis omnibus cogitare uos oportet. nostis enim  
in eo iudicio nō tantū amplissimis regibus ad omnem fauorē locū præ-  
clusū iri, aut nihiloplus, quàm quelibet ex infima plebe, habituros: sed  
etiā conditione hōc inferiore tum futuros, quod non suorum modò pec-  
catorum, sed eorū quoq; quibus culpa male administrati imperij alij  
se inquinauerint, pœnas ipsi sunt daturi. itaq; quod ad illa attinet, quæ  
in bellis reguntur arbitrio principum; si quem gloriæ, aut imperij cu-  
piditas ad arma impulerit, quicquid, is aut rerū publicarum utilitatis,  
aut priuatarum iustæ defensionis falsa ratione prætexens oculis obie-  
cerit humanis, istud non solum causæ nihil proderit, uerū èt iudicem  
in se multò grauiorem experietur: à quo tanquam auctore flagitiorum  
omnium, ac scelerū, quæ in bellis committi solent, pœnæ persoluentur.  
si, qui aut multos occiderint, aut sana expilarint, aut non semel pu-  
dicitiam uiolauerint, nulla digni misericordia, si res in hominum agaz-  
tur foro, omnium uocibus ad supplicia suprema deposcuntur: quam  
causam apud omnium incorruptū iudicē regū eorū fore censetis, quos  
ad inferenda bella mala cupido protraxerit? etenim hominum cædes,  
incendia, rapinæ furta, sacrilegia, adulteria, uis omnis, et impietas: ma-  
la deniq; in hos ipsos, quorū culpa hæc acciderint, omnia redundabunt.  
præterea, quò ampliora beneficia acceperint, horum usus qui fuerit,  
hos ad dei tribunal rationem hōc exactiorem edere oportebit: præscr-



tim cum, non ut infideles principes dilanæ ministri iustitiæ ad malorū  
perniciem, sed ad salutem bonorum sitis ipsi rerum moderatores à deo  
constituti. Hic uobiscū ipsi cogitatis, diligenterq; consideretis oportet,  
ad quam partem istæc uestra potestas sese cōuerterit, ad mæroremne  
improborum, an ad lætitiā bonorum. Si ea ratio administrandi im-  
perij uobis placuit, ut uulnera uestris hominibus infligeretis: uidete  
quæso, quanta sit dei erga uos beniuolentia, quantū sit beneficiū: quos  
antè, quàm ad tribunal suū ire cogamini, admonere uoluit, atq; ad eā  
pacem cohortari: quam si non aspernabimini, uobis cruor ille, quē pa-  
cis inter deum, & homines conciliandæ causā olim uniuersus terrarū  
orbis effusum uidit; uitiorum uestrorum maculas eluet, ac delebit: si-  
mulq; tum rerum omnium immutatio maiorem quotidie asferet utriq;  
lætitiā: tum, qui supremis rerum temporibus omnium futurus est iu-  
dex, haudquaquā iratum sentietis. Quam quidem rem eiusmodi esse  
dicimus: ut dei in homines beneficium nullum fuerit eo maius, quàm  
hoc futurum olim iudicium ijs ipsis prædicere; simulq; qui se iudicem  
lenire possent, docere tantò ante uoluisse. Quid autem causæ fuit, ut  
dei filius in terras è cælo delapsus humanū habitum, formamq; deus  
indueret, nobiscum unà esset, postremò deo patri seipsum immolaret?  
nimirum illud hunc impulit, ut, qui nec istud eius beneficium, nec mo-  
nita aspernantes præcipienti obtemperabunt; qui omnium tam, qui uis-  
ta sancti sunt, quàm, qui hac fruuntur, iudex est à deo patre constitu-  
tus, omnes à suppliciorum metu liberentur: eaq; cuius per se interces-  
sorem hominū generi cuius facta est copia, sempiterna quiete perfruā-  
tur. Id autē magni utiq; refert cū unumquenq; nosse, tum uero eos  
in primis, quibus ob tradita rerū gubernacula studium, et cura incū-  
bit maior rationum ad eius tribunal iudicis referendarū: qui non per-  
sonarum dignitatem ullam, sed facta tantum ipsa ponderabit. in eo tā-  
tum priuati hominis, et regis, qui officio suo non fungatur, dispar erit  
ratio: ut sacrarum testimonio literarum quò principum amplior fue-  
rit potentia, hōc dei uis in his excruciandis futura sit maior. Quam-



obrem regi cuius beneficium illud potest uideri amplissimum, ut rem  
tam necessariam mature is resciscat, cuius ex animo tot, quæ in hac  
uita contingunt, impedimenta hancipsam euellere potuerunt. Verum  
enimvero, cum hæc ad te scribam Cæsar, cuius singularem pietatem  
omnes norunt, illud mihi fortasse obyciet quispiã, dicitq; ut te de ex  
tremo omnium iudicio commonefacerem, longius, quàm par esset, oras  
tione fuisse prouectum: perinde, ac si cum eo loquerer, qui rem penitus  
è memoria deleuisset; quiq; præ se ferret non esse amplius ex eorum  
numero, quos deus in amicitiam suam antè recepisset: huic autem ut  
se reconciliaret, hoc tanquam stimulo foret impellendus, nõ autè cum  
eo rege, ac principe; cuius erga deum pietatis exempla sunt quãplurimã:  
quæ & omnibus sunt perspecta, ac cognita: & propterea etiã ei  
singularem illius fauorem in multis magnisq; expeditionibus attulerunt,  
id quod ego unã cum cæteris lubens & agnosco, & sentio de te  
Cæsar, uerum in hac oratione de futuro iudicio paulò prolixior esse  
uolui: ut, cum multa, eaq; ingètia beneficia à deo accepisses, meminisses  
te ei nequaquam satis esse facturum, si pari erga se cum cæteris  
officiorum ratione certaueris, in quos pauciora, leuioraq; contulit. illud  
potius ex eo audies, quod idem quotidie repetit. Nunquã in æterna  
cæli tẽpla penetrabis, nisi reliquos antecellueris iustitia. qua quidem  
de re quæstio tum habebitur, an eam exercueris pro eo, quantum ipse  
debes propter ea beneficia, quæ tu præ cæteris accepisti amplissima:  
quorum è numero nullum est eo maius; quo, & quanta pietatè deum  
colere, & quanto studio, curaq; tuorũ regnorum commoda, salutemq;  
tueri oporteat, planè cognouisti. At quibus hæc oculis tibi cernere cõ  
tigit? ijs scilicet, quos cœlitus immisos, quale de primis generis huma  
ni parentibus legitur, quandiu procreatori suo grati esse uoluerunt,  
deus in te defixit. his nimirum oculis omnia is prospicit, & guber  
nat. Itaq; nisi eos, qui te regem, atq; imperatorem habent, ea ratione  
regas, quam celestis ille fulgor ostendit, deum grauiter abs te lædi  
necesse est: qui tantum eius beneficium aspernari uideare. Hos ipsos  
inquã




inquam oculos ut alter in alterum conijciat, hoc est, ut mutua charitas  
te complectatur, uterq; animum inducat oportet. id si feceritis, nihil  
uerendum erit, ne sit ea sequutura concordia, qua multis ante sæculis  
nulla extitit uel laude illustrior, uel reip. Christianæ salute ipsa uicū  
dior. Aut, si tamen alterius culpa aliquando secus acciderit: per quem  
non steterit, ad hunc utilitates omnes, ueriq; honoris ornamenta trās-  
ferentur. Atq; ut tandem colligam, quod suscepti muneris flagitat à  
me ratio: istud autem est, ut, quæ nūc habeo de pace dicere, de his uos  
admoncam: rursus affirmo transigendi negotij uim omnem non tam,  
ut multi existimant, in conditionibus, quibus facile aut inuerti, aut cō-  
fici istuc possit, quàm in eo esse positam: ut uterq; cogitet, quibus ocus  
lis uos ipsos inuicem, simulq; conditiones spectare oporteat: nam si eos,  
quorum modo memini, qui se in primis ad uerū dei cultum, & ad pu-  
blicam utilitatem conuertunt, afferetis, conditionū æquitas aliqua con-  
stitui poterit: sin ij post habita utilitate communi priuatam ante res  
spexerint: licet dissensiones tollantur, bella restinguantur: pax tamen  
hæc non modo nihil aut uestris commodis, aut reip. profutura est, sed  
maiora etiam allatura detrimenta. atq; id quidem hoc plus metuendū  
est, quòd à deo & de periculo ante admoniti fuistis, & huius euitan-  
di rationem edocti: ut secus si fiat, atq; faciundum esse diximus, ma-  
iore et uestro ipsorum, & aliorum iactura eum multò grauius lesum  
iri uobis exploratum esse possit. Id ne omnino uererer fecisti Cæsar,  
cum à me illud nō ignorari uolueris, te nulla unquam, quam illatæ ab  
aduersario iniuriæ conflauerint, inimicitia, aut animi perturbatione  
adeò commotum iri, ut culpa tua stabilis inter uos ne conglutinetur cō-  
cordia: modo rei conficiendæ talis afferatur ratio: in qua explorata spes  
insit pacem hanc & firmam, ac tutam, & reip. Christianæ salutarē  
fore. Planè ista tua pietas Cæsar eius, quam ipsi quærimus, initiū est  
concordiæ; neq; id ullus negare audeat: præsertim si, ut omnino futurū  
spero, id ipsum etiam rex senserit, uerum, tametsi res ita se habet, à



uobis tamen, ut planè negotio statuatur finis, omnino illud exorari si-  
natis oportet: ne, dum qua ratione aut pietatè colere, aut de rep. bene-  
meri deceat, queritur, in causa uestra ipsi iudices esse uelitis, sed eius  
hàc esse gloriã, qui sit princeps, et haud falsus auctor pacis: cui iureiu-  
rando ita nos obstrinximus, ut ea nobis seruãda essent, quæ tollenda  
rũ absq; cæde discordiarũ causa idem statuit ad memoriã sempiter-  
nã. Atq; ut in hunc iniuria nulla potest esse maior, quàm uos aut ui cõ-  
trouersias dirimere, armisq; de iure disceptare; aut harum auctores  
ipsum iudices cõstituere perinde, ac si nihil ille decreuerit, quod in hac  
re sequi uos oporteat: ita nihil aut eo amplius ad eius regis gloriã, qui  
potest omnia, quicq; ad tantam dignitatẽ uos euehit, aut reip. Christia-  
næ salubrius, quam tantum is diligit, & charam habet, ut corpus suũ  
hanc uocet: quam ut ad eius, qui sic statuit, altũ, augustumq; tribunal  
de uestris controuersijs, quæ corpus istud pridem fœdissimè dilacera-  
runt, diiudicari patiãmini. Verum, ut ea, quam iudex tulerit, senten-  
tia nullo pacto aut reuocari, aut de loco suo dimoueri possit; atq; eius-  
modi sit, ut et ijs, in quos habetis imperium, & simul uniuersis ita, ut  
hi cupiunt, profutura esse uideatur: non modo ad iniurias oculos occlu-  
dere uos necesse est (id quod spondes te esse facturum Cæsar, ut cũq;  
ineatur ratio eius conficiendæ pacis, quæ & stabilis, et populo Chris-  
tiano utilis sit futura) sed ad eas etiã partes, unde lædi potestis, cogi-  
tantes quot, quantaq; detrimẽta uestra bella reip. attulerint: simulq;  
inuicem uosmet intuentes bisipsis oculis ea loca rimari: quæ, ut his,  
quos in iudicando mouet nulla cupiditas, sic uobis poterant, nisi inimi-  
ci essetis, nimirum grata uideri, & iucunda. Id si inducamini, ut ue-  
litis facere: multa utriq; esse uidebuntur, quæ iure poterunt uos ad id  
impellere: ut et amore mutuo deuinciamini, et placatis, sedatisq; discor-  
dijs firmam, constantemq; inter uos amicitiam coniungatis. Quod pla-  
nè eueniet, si cogitabitis uestræ potẽtiæ, uestræ dignitatis quæ fuerint  
inicia: qua ratione tũ primũ per uos hæc parta: quantũ sit immortalis



dei beneficium, qui incolume imperum uobis hucusq; seruauerit: quod propterea et uideri debet, hoc maius, quod in his, quae ad religionem; pertinet, in quibus omnium fere semper fuit idem consensus, in tuenda, iuuandaq; Ecclesia nunquam dissentientes esse uoluerit. Qua ex re simul et cognoscetis, quanta fuerit eius erga utrumq; beniuolentia; qui liberorum loco habuerit; qua ratione, quo pacto allicuerit, impulerit, ut cum alter ro alter amore, uoluntateq; se coniungeret; quos unam copulatos & se colere, ac uenerari; & quorum moderatores statuit, suos ut solaretur, operam, atq; industriam suam afferre uellet. praeterea, si quot, quataq; mala, quot calamitates, quot clades odia uestra, bellaq; tulerint, quotis dieq; magis haec apponent: quorum omnium ad incorruptum dei tribunal exactas rationes referre oportebit: contraq; quantum sit ad diuinum, humanarumq; rerum statum ea, quae et pietatis, & communis utilitatis amor concludinauerit, profutura concordia, reputabit: si haec inquam omnia perpendetis, simulq; ea in re comites uniuerso populo uos adiuetis, ut, a quo ille pacem hanc enixè nunc petit, deum quoq; uos precemini, ex animis uestris omnia euellat, quae huic obolare uideantur; praeterea illud doleatis, atq; etiam ab eo ueniam imploretis, quod neuter uestrum in id, ut par erat, antea incubuerit: simulac beneficium istud postulabitur, ad dandum liberale se bonitas diuina praestabit: a qua certe singularis in uos beniuolentiae multo plura, quam caeteri, pignora accepistis. Hinc enim magis hoc tempore gloriam sibi quaerit immortalis deus: non quo laude is egeat, quam ad se possitis ipsi transfundere, sed ut, qua ipse praesulget, insignem uobis hac ratione impertiat gloriam: quam quidem, si pacis foedera inter uos firma sancietis, uobis quoad in hoc obscuro corporis domicilio inclusi estis, & ubi aliud hinc migraueritis, & singulare in reip. Christianam beneficium, & salus omnium hinc futura comparabunt: cuius rei perficiendae facultatem, semper uniuersi deprecemur, ut pro sua clementia utrique largiatur rerum omnium & parens, & auctor deus. Amen.





Handwritten text, likely a list or index, consisting of approximately 25 lines. The text is extremely faded and illegible due to the age and condition of the manuscript. The script appears to be a historical cursive or Gothic hand.

168

Index



